



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum  
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ  
Calvino-Catecheticæ**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Moguntiaë, 1626**

Ad Qvæst. LXIV. An autem Luthero-caluinistica hæc doctrina non reddit  
homines securos, & profanos?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35247**

## AD QVÆST. LXIV.

*An autem Luthero-caluinistica hæc doctrina non reddat homines securos, & profanos?*

I. MINISTER. I. Cum Catechesi negat, ut rem impossibilem. Parochus affirmat; & catechetica Rationem hanc: Neque enim fieri potest, quin ij, qui Christo per veram fidem insiti sunt, fructus proferant gratitudinis: sic mutatur. Neque enim fieri potest, quod ij, qui Christo per... fidem solam se insitos putant, fructus proferant: gratia ut debitas, ac meritos.

RESPONDEO. Si quæras ex Ministro, cur fieri non possit, quin fructus proferant gratitudinis, insiti Christo per veram fidem? Respondet: Quia, Ad constituendum liberum arbitrium requiritur libertas à Coactione. Vide in Luthero-caluin.par. 4. q. 37. 2. Quia Efficacia gratiæ ponenda est in Deo Necessitante nos. Ibid. q. 30. 3. Quia, Baptismus reddit homines impeccabiles. Ibid. par. 3. q. 26. 4. Quia DEVS prædestinavit aliquos sine meritis, et si paucos, ad vitam æternam: ideo hi proferunt fructus gratitudinis. Ibid. par. 4. qq. 32. 33. 34. 5. Quia inevitabili necessitate hi saluantur, alij pereunt. Ibid. quæst. 35. 6. Quia Iustificatio consistit in Imputatione iustitiæ Christi. Ibid. q. 64. 7. Quia certitudine fidei quisque certus esse debet, se iustificatum esse. Ibid. q. 66. Quia & prædestinatum. Ibid. q. 67. Nam fides & iustitia amitti non possunt: Ibid. q. 68. Imo, Libertas Christiana reprobatur operum bonorum necessitatem. &c. Ecce Troianum equum hæresium: ferme quot vno in capite papaverino latent semina. Consule de Super & Antichristum, & Genealogiam meos.

II. MINISTER. I. Doctrina nostra non est Lutheranæ, neque Calvinisticæ; sed Christiana, atque Apostolica: Neque nos Lutheranismus, vel Calvinismus; (quæ nomina pro Schismaticis habemus) sed Christiani: Teste Luthero, Erasmo, Athanasio: Teste S. Scriptura de nomine Christiani fidelibus imposito, retento, retinendo, non Pauliani, &c.

2. Cum nos Calvinianos, &c. appellant Pontificij, agnoscimus in eis morem genuinum veterum hæreticorum; in Nobis communem cum antiquis Orthodoxis sortem. Nam Ariani hos vocabant Homousianos, &c. aliterque alii: teste Lorino, Bellar.

3. Papistæ & Romanenses volunt soli dici Catholicici; at similiter & præfati hæretici; teste Aug. Lactant. Bell. Cano.

4. Apertum mendacium est, (ipsum, dolosum, palpabile, vel si vno maius verbo, Iesuiticum; cum nos Lorinos, Bellar. aiunt, Calvinianos Calvinus discipulos suos dici voluit, Lutherus Lutheranos.

5. Hæreticorum privilegium est, impudenter mentiri, ait Costerus. Ideo, religio suspecta habenda est, ait Lactantius, cuius auctores, & propugnatores videntur dolo malo, mend. &c.

RESPONDEO. Minister factus est ex tempore Rhetor; sed Vaticanianus, & Verinus. Philippicam declamat in me Meorum minimum Vermem, & opprobrium hominum propter Christum pro Christo. Sed conuerso nomine de te fabula dicitur; quam tu aduersum me, Meoque Choragus cecinisti. Vane tu pro Vobis congestisti; quæ præfati Romano-catholici pro Romano-catholicis prædicarunt vere.

Vel largiar id Vobis, certe proopto: Speciem sanè habetis Christianæ & Apostolicæ Pietatis; sed Veritatem eius abnegantes. Quia tamen Alexander esse vult DEVS: Sit DEVS, &c.

AD I. Lutherum, Erasnum testatur. Quia similis simili gaudet: & mulus mulum scabit. Et tamen affectat S. Athanasio similis videri: Sicut iste Leo, Leonis indutus exuviis. Christiani tamen estis ex baptismo quisque Vestrum; Sed vas vacuum; et si caractere indelebili signatum. Scriptura vero, calatrix nominis CHRISTIANI, dicit Vobis, Nescio vos: Ex nobis ex istis; sed non estis ex Nobis. Et quid nobis cum ijs, qui foris sunt. Procul hinc; procul ito profanum Vulgus.

AD II. Ita, inquam, hæretici vocitabant Orthodoxos; sed Romano-catholicos: Hi vero illos ab Hæresiarchis suis: sicuti hodieque hodiernos Sectarios. Minister se suosque componit Orthodoxis Romano-catholicis, quorum dissimillimus esse vult atque laborat. Romano-catholicos verò ponit inter hæreticos, qui soli omnes hæreticos semper anathematizarunt, & extinxerunt. Hui, quot in vno implicat contradictiones; Belle vitur Pelle.

AD III. Volunt, Voluerunt semper, Volentque. Sunt etenim. Similiter suborti pro temporibus hæretici præfati idem nomen CATHOLICI affecta-

affectarunt, tum per emendicatas aut ementiras Communicatorias Romanas; tum per sparsum vulgo, iactatumque de se titulum, fucumve Catholicae Communionis. &c. Qualia sepius notata videre est in mea Historica Demonstratione Romano-catholicae fidei. Testes dem? Eosdem reddo tibi verbis totidem, quos tute dedisti mihi. De tui namq; similibus prodiderunt. *Qua sine scias, (tua recipe verba Minister) vel si dubites, quia in Veterum scriptis Patrum non multum Bene versatus; consule eosdem, de Qualibus ij contestentur. Verè, (tua recipe verba) agnosimus in VOBIS Luthero-caluinianis Morem, geniumque veterum hereticorum.*

AD IV. Si male locuti sunt, testimonium perhibe de mendacio. Sin; quid eos cædis tam immaniter? Sed negas; Et hoc tantum. Ego sto in ore duorum testium fide dignorum.

AD V. Et testimonium Costeri, Lessij. &c. verum est. Atq; in iisdem, (tua recipe verba Minister) habes propositionem à Teipso formatam; tu, si bonus es logicus, assume, atq; conclude.

III. MINISTER. L. De Parochi appendicula, Sola fide, diximos quæst. 60.

2. Catecheticus ait: *Fructus proferunt gratitudinis, qui Christo per Veram fidem insi. i sunt.* Parochus hic manifeste calumniatur, & doctrinæ catechetice sensum depravat ponendo: *Per fidem solam Christo se insitos putant.* Vocem *Veram* expunxit: in quo dolum committit, & fraudulenter agit. Doctrinam nostram de Vera fide Opinionem in te protatur mendacem, & credulam, temerariamque presumptionem.

3. Nec ipse negare potest, quin Christo insiti fructus proferant gratitudinis; nisi novam hic hæresin nobis fabricet. Iusta de eo querela nostri Catechistæ est &c.

RESPONDEO. AD I. De Sola fide diximus ad quæst. 60.

AD II. Vocem *Veram*, expunxi sciens, prudensq; quia Sectariorum, ac Novatorum fides, i. Nec *Vera* esse potest; 2. Nec *Fides* quidè; sed mera opinio, atq; persuasio, (tua recipe verba) mendax, credula, temerariaq; præsumptio. Atq; idcirco proprium epitheton *Solam* substitui: *Eidem* ex coniuventia reliqui, loquens vt multi, sentiens vt pauci. In marginem excaluinizatum *Veram* exponere velego inaduertens omisi; vel expositam typographæ præterit casu. Quales quæ mihi, ab typo-

graphia procul absenti quæ typographo meo, casus acciderunt vel in nuperis meis Luthero-caluinisticis, & Historicis plures. Neque in hac ipsa Castigatione melius sperare, nedum spondere mihi certum esse potest. Itaque nec dolum commisi, nec fraudulenter egi: Neque vir bonus id de me vel probabiliter præsumere potest: adeo nec ipsa æstuans Ministri malignitas causam vel fingere poterit, cur expunctam noluissem ad marginem exponere.

Quocirca Minister bis operam ludit: tum, quod suum ipse virulentia animi stylumque in me exerit, & exercet; tum quod è locis communibus suis facti meo dissimillimi iustam querelam iniuste in me promit, atque contorquet.

AD III. Nego, per veram fidem insitos Christo proferte fructus duntaxat *Gratitudinis*; sed insuper etiam ad cumulam Meritorum satagere, vt *PER BONA OPERA certam suam Vocationem & Electionem faciat.* 2. Pet. 1. Neque Minister fecius affirmat, (tua recipe verba) nisi novam hic hæresin nobis fabricet cum suis Luthero-caluinianis Nouatoribus.

## AD QUÆST. LXVI.

## Quid sunt Sacramenta?

CALVINVS *Instit. l. 4. c. 14. §. 1.* componit definitionem Sacramenti conformem huic Catechetice.

MINISTER. 1. Quod pro *Sigilla* ponat *Instrumenta*, nihil hic opus erat. Nam fatemur Sacramenta esse *instrumenta*. Et eadem quoque *Sigilla*; Vt Rom. 4. circumcisio vocatur *opus*. i. Signum. Sed & *opæ*. i. Sigillum, seu signaculum. Sic & Patres id appellant.

2. Nulla iusta de causa verbum *Obsignare*, deleuit. Quia Sacramenta sunt & signa, & sigilla; ideo & significant, & obsignant, & confirmant. Et manifesta calumnia est, quod Pontificii docere nos aulerunt Sacramenta esse nuda signa.

3. Minime erat opus ad *Credientibus* addi *Vere*: quia Solum Vera fides hic intelligitur.

RESPONDEO AD I. Quia *Sigilla* tantum confirmant rem, non conferunt ipsam actu in sese; *instrumenta* autem quid aliud rei & operantur, & conferunt: Quorum prius aiunt; ne-